Filiatio Mariana Sanctae Dei Genitricis Cracoviae

Teol. 1695.

# FILIATIO MARIANA SANCTÆ DEI GENITRICIS APPROBATA.

Olim
PRO TYROCINIO VIENNENSI S. J.
Ad fovendam perpetuò pietatem
*Erga*
ADMIRABILEM
DEI MATREM.
Nunc in
TYROCINIO CRACOVIENSI
*SOCIETATIS JESU*
Ab
ADMODUM REVERENDO
PATRE
LAURENTIO RICCI,
*Ejusdem Societatis*
PRÆPOSITO GENERALI
CONFIRMATA
*Romæ 10. Junii 1758.*

Ecce MATER Tua.
Ecce filius tuus. *Joan.* 19.
Ego Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei. *Eccli* 24.

# ECCE MATER DEI INVIOLATA.

Nè dimittas legem Matris tuæ ut addatur gratia Capiti tuo *Prov.* 1.

## *TESSERÆ DIERUM SEPTIMANÆ.*

1. Mater DEI memento mei.
2. Monstra Te esse Matrem.
3. Mater mea es.
4. O Mater MARIA sis mihi propitia.
5. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.
6. MARIA Mater gratiæ.
7. Salve Regina Mater misericordiæ.

# FORMULA
## Se conſecrandi in Filium
## MARIÆ.



SAncta MARIA, Regina cœlorum, Mater Domini noſtri JESU Chriſti,& mundi Domina, Ego Thaddaeus Btonſki licèt favore tuo undecumque indigniſſimus, ineffabili tamen illa pietate & miſericordia tua confiſus, quâ omnes hactenus ad te confugientes benignè recipere conſveviſti, me ad ſanctiſſimos pedes tuos humillimè abjicio, & à Materna bonitate tua hanc unicè gratiam ardentiſſimîs votîs expoſco, ut me, licèt ob innumerabilia peccata,offenſiones & negligentias meas, peculiarî hâc gratiâ indigniſſimum, in filium tuum aſſumere, & Maternô tuô auxiliô perpetuò protegere digneris. Ego verò, ut ſancto hoc filii tui nomine ſemper gaudere poſſim, neque unquam hoc tam amabili titulo indignum me efficiam, coram te Matre mea amantiſſima, Angelo quoque tutelari meo, totáque Curia cœleſti firmiſſimè ſtatuo, & propono me nihil unquam cogitatione, verbo, aut o-

pere, toto tempore vitæ meæ commissurum, quod genuinum tantæ Matris filium vel in minimo dedecere possit. Imò filiali in te amore raptus, propono me in scholis, catechismis, & alia occasione data, semper curaturum, ô Mater amabilis! ut ab omnibus, maximè verò à pueris, probè cognoscaris, ameris, colaris; dein etiam ut ego ipse exactè observem regulas propositáque huic filiationi propria, & ab Admodum Reverendo Patre nostro approbata & confirmata.

PRO-

# PROPOSITA
## Offerenda DEI MATRI.

1. CUm constitutiones nostræ, legésque à sancto Patre nostro, DEO inspirante ac illuminante; te veró, ô Mater amabilis! adjuvante, & non raró apparente ac confirmante, conscriptæ sint: id intendam primùm, ut DEO, Regulis observandis, inserviam, placeámque, & ad JESU CHRISTI formam componar; dein ut tibi tanquam Matri meæ, filiali observantia Regularum ac Constitutionum, quæ patrocinio tuo, adjutorióque conceptæ sunt, obsequens, gratúsque exhibear.

2. Intentionem puram soli DEO placendi in omnibus cogitationibus, verbis & operibus meis habere studebo; nihil cogitabo, nihil loquar, nihil agam, nisì quod judicavero esse ex voluntate DEI, & cedere ad majorem ejus gloriam, seu ad salutem & perfectionem propriam, & animarum.

3. Regulas meas sanctas semper æstimabo & amabo. Moriar potiùs quàm vel minimam deliberatè transgrediar: in aliis etiam amorem & æstimationem Regularum tam verbô quàm exemplô

omni data occasione, excitare non intermittam.

4. Manè primo quadrante post horam quartam semper accuratè surgam: ante meditationem Venerabile Sacramentum visitare, ibique per sinceram omnium cogitationum, verborum & operum, nec non trium votorum oblationem me DEO consecrare non omittam.

5. Quotidianas meditationes, & examina semper impensè, ferventer, integrè & reverenter peragam.

6. Nunquam omittam lectionem spiritualem ex Regula præscriptam.

7. Confessionem ac Communionem quamlibet ità peragam, acsi ultima foret.

8. Paupertatem amabo ùt Matrem: ordinariîs semper contentus ero; ex iis etiam, quantùm in me erit, vilissima desiderabo, & eligam; nullam etiam minimam rem sinè facultate dabo, aut accipiam.

9. Angelicam puritatem mentis & corporis omnî diligentiâ custodiam, nihil cogitatione, nihil verbô, nihil aspectu, nihil tactu, aut quacumque alia ratione vel in minimo huic virtuti contrarium committam.

10. Regulas modestiæ & silentii semper observabo accuratissimè.

11. Mor-

11. Mortificationes consuetas, quamdiu vires & obedientia permittent, nullâ hebdomadâ intermittam. Temperantiæ religiosæ in cibo & potu semper studebo, omnémque in hoc genere excessum constanter cavebo.

12. Superioribus meis in omnibus perfectissimè obediam. Indifferens sum, & per DEI gratiam semper ero ad omnem locum, ad omne officium: nihil unquam, quantumcunque molestum aut incommodum, recusabo.

13. Officium quodlibet ab obedientia injunctum, qualecumque sit, ità diligenter & accuratè peragam, acsi ab illo tota salus mea, & totius mundi penderet.

14. Semper candidus ero superioribus meis, & Patribus spiritualibus, totam illis conscientiam aperiendo.

15. Sum, & semper per DEI gratiam contentus ero, ut omnes mei defectus ad superiorem deferantur à quocumque, qui eos extra Confessionem intellexerit. Nunquam displicentiam vel minimam admittam contra delatores; nunquam vel minimum verbum contra eos loquar: sed potiùs eos defendam, & illis benefacere conabor.

16. Otium, quàm potero, maximè cavebo: minimam etiam particulam temporis bene impendere satagam.

17. Omnia ea, quæ in Novitiatu aut agenda aut omittenda didici, extra novitiatum uſque ad ultimum vitæ halitum obſervare conabor.

## CLAUSULA.

HÆc ſincera animi mei ſenſa, propoſitáque ſingula à me in conſpectu tuo, ô Virgo beatiſſima! Angeli tutelaris mei, totiúsque Curiæ cæleſtis & concepta & ſecretò facta, tibi Matri meæ amantiſſimæ ex toto corde offero, enixéque rogo, ut tu ea, Filii tui, & omnium Sanctorum meritis unita, æterno Patri præſentare digneris, mihiq; ſimul illa omnia perfectiſſimè obſervandi gratiam uberem obtinere, Amen,

# REGULÆ
## Filiorum MARIÆ.

REgula 1. Sæpe perpendant propoſitum in formula conceptum, data occaſione adnitendi, ut DEIpara ab omnibus probè cognoſcatur, ametur, colatur,

Regula 2. Intelligant in propoſito memorato involvi alia propoſita: Primò quidem, propoſitum avidè captandi, præſertim recreationis & colloquii tempore, occaſionem ſermocinandi de DEIparæ dignitate, excellentia, ſuavitate, deliciis, virtutibus, patrocinio poten-

ti, materno amore in genuinos ſuos filios & amantes; tum etiam de fiducia & affectu, quo in talem & tantam Matrem ferri par eſt. Secundò. Propoſitum toto magiſterii curſu frequenter, quamquam & prudenter, thematibus, exhortationibus, catechiſmis inſerendi aliquid Marianum. Tertiò. Propoſitum urgendi & curandi, diſcipulorum themata dedicari DEIparæ ſub aliquo titulo pio & ſelecto E. G. ſicuti à diſcipulis thema referri aſſolet, & de more debet, *ad majorem DEI gloriam*, ità etiam ſcribatur thema compoſitum eſſe *ad honorem & amorem DEIparæ, Matris meæ amabiliſſimæ*; variatis etiam ſubinde titulis, ùt puerorum ac juvenum animis æſtimatio & amor MARIÆ inſtilletur copioſiûs, & altiùs infundatur. Quartò. Propoſitum tempore ſacerdotii pœnitentes, maximè verò agonizantes, excitandi ad magnam in patrocinio & amore Mariano fiduciam.

Regula 3. Omni die Roſarium, & Officium de immaculata beatæ Virginis MARIÆ conceptione perſolvant tanquam penſum filiale, ſaltèm donec majoribus Ordinibus fuerint initiati.

Regula 4. Aſſveſcant omnes actus & opera JESU CHRISTO offerre per MARIAM, & ſanctiſſimæ Trinitati per JESUM.

Regu-

Regula 5. *Etiam* aſſveſcant ſe ſuáque per Angelum ſuum tutelarem offerre DEIparæ.

Regula 6. Sciant Filii MARIÆ frequenter præ oculis habere JESUM & MARIAM non tantùm ùt ſcopum cordis ac amoris, ſed etiam morum & imitationis.

Regula 7. Filius Marianus in deliciis habeat delicias JESU & MARIÆ atque adeò S. Joſephum, S. Joannem, alióſve peculialiter Mariophilos, quales *S.* Pater noſter Ignatius, S. Franciſcus Xaverius, S. Stanislaus Koſtka, S. Aloyſius, aliique è noſtris Sancti, imò tot, quot ſunt genuini ſocii JESU.

Regula 8. Libro Mariano inſcripti omnia opera diei Sabbathi offerant pro omnibus MARIÆ filiis, huic filiationi inſcriptis, ubicumque terrarum degentibus, tam vivis quàm defunctis; vivis rogando perſeverantiam, & obſervationem propoſitorum, defunctis requiem ſempiternam.

Regula 9. Poſt ſingulas ſacras Communiones DEO per manus beatiſſimæ Matris hæc propoſita offerant.

Regula 10. Singulîs Feſtîs beatiſſimæ Matris poſt ſacram Comunionem & gratiarum actionem ante Venerabile Sacramentum, vel ante aliquam imaginem beatiſſimæ Matris ſuprà poſita DEO, & ſanctiſſimæ MARIÆ conſecrent; deinde

privatim attentè considerent; an, & quomodò illa proposita servaverint hactenus?

## Ad DEI Matrem.

SUb tuum præsidium confugimus; sancta DEI Genitrix; nostras deprecationes nè despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta, Domina nostra; Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis sancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

## *OREMUS.*

DEfende, quæsumus Domine beata MARIA semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum; Amen.

Præter praxes expressas, notandæ sunt observationes filiorum MARIÆ. 1mò. Annuæ in Festo Maternitatis B. V. MARIÆ quo die omnes suas Communiones, aliásque devotiones offerent pro omnibus inscriptis filiationi MARIANÆ sua quoq; proposita innovabunt privatim, per formulam suprà positam; præterea

distri-

distributas per dies mensis orationes recitabunt. Itèm annua devotio ad S. Stanislaum Kostka Patronum & exemplar hujus filiationis, per 10. Dominicas Festum ejus antecedentes. Itèm 6. Dominicæ in honorem S. Aloysii, cum indulgentiis &c. 2dò. Observationes menstruæ, ut singulîs diebûs mensis, unus vel duo offerant suam Communionem & alias devotiones pro inscriptis huic filiationi, prout præscribitur in circulo menstruo filiationis MARIANÆ. 3tiò. Singulîs septimanîs juxta Regulam 8vam, omnia opera diei Sabbathi pro omnibus filiis MARIÆ offerantur. 4tò. Pro singulis diebus septimanæ eligantur Patroni, qui excelluerunt in amore DEIparæ & specialiter illi, qui coluntur quotidiana invocatioue, ac osculo Sacrarum Reliquiarum in Sacello. 5tò. Angelica Salutatio ad horæ pulsum, cum mysterio ex horologio Passionis Christi, itèm Examen horarium, Suspiria identidem per horã ex tesseris dierum septimanæ, aut saltèm ante præcipuas 10. actiones diei, adhibeantur, & observentur.

Ad Majorem DEI, & DEIPARÆ nostræ utiq; Matris amabilissimæ Gloriam.

*CRACOVIÆ.*
In Typographia Episcopali.

1621.

Witkowskiego Stanisława: Pobudka ludzi ry-
cerskich.